

corpore affingentis; quos virtus potius quam medica, aut delicata curatio sanavit. Eiusdem mensis 29 quæ in Sabbatum Virgini sacrum incidit, non omisit dicatum eidem Immaculatæ Virgini obire culinae ministerium; ac deinde de genibus tricoliui medio prandit; at ægre et parce. Vesperi vix in pedes stare, aut se sufferre poterat. Quare tum demum catenus morbo cessit, ut iis, quibus intererat, illum indicaret. Exinde deterius in dies se habuit, usque dum malignitas febris certis indicis manifesto deprehensa est. Lætissimus inter nos agebat, sane mœstos tam præstantis viri periculo pariter, ac universæ Societatis: neque ullum dabat unquam argumentum vel merentis animi, vel vim morbi non fortissime ferentis. Id tantummodo petit, ut quo ad ejus fieri poterat, solus esse sineretur, quo scilicet vitæ residuum omnino cum Deo exigeret. Præsignificabat enim hanc invaletudinem supremam sibi fore, prout ex oraculo acceperat Neapoli Romam sibi migrandum, atque inde brevi in cœlum. Quod augurium mortis, sermo illius cum quodam e Patribus confirmavit. Cum enim hic arbitratus Vincentium æquo crebrioris litteras publicas, legesque Provincis Societatis præscribere, objiceret illi antecessores Generales in eo genere moderatius egisse, sapienter illi subjecti Vincentius: « At mihi, qui citius hoc munere defuncturus sum, brevi, quod cogito, faciendum, ne numquam faciam. » Porro e lectulo semper oculos in signum Christi cruci affixi, vel B. Mariæ Virginis intentos ac defixos habebat. Quoniam autem suspirabat identidem, percontatus est nonnemo, equid male haberet: nunc quare indigeret. « Nulla, respondit, neque suspiria ista dolor, sed consolatio exprimit. » Nec vero causa fuit ambigendi: nam alias cum ad mortem laboraret, amico per familiari asseruit, sese ex conscientia tantillæ operæ, quam adhuc Deo impenderat, tantam haurire voluptatem, ut vix animo capere posset: « Quanta, subjuncti, futura est, quando post alios ejusdem Numinis gloriæ exantlatos, optimus Pater ac munerator noster morbum, quo extinguendus sum, servulo suo immiserit? » Quoniam vero nihil petebat, iis, quæ circa illum, aut ipsi fierent contentissimus, quondam familiariter illi diximus, fieri non posse, quin aliqua re, officiove quandoque opus haberet, cum tamen nihil unquam posceret; ad quæ ipse: « Quid velle, inquit,

potest, aut petere, qui adsunt omnia? » Deum innuens, qui unus est omnia illi, qui ipsum possidet, et possidetur ab ipso. Quod responsum dedit vultu et ore celestem hilaritatem ita spirante, ut nos intimo pietatis sensu affecti, et in lacrymas effusi, nihil ultra reponere, aut dari possumus. Medico morem gerebat ad nutum, et quamquam non sine gravissimo labore surrigere sese e strato valeret, ad nonnihil cibi, potusve sumendum, quamdiu tamen collectis viribus potuit, quidquid præbebat, sumpsit. Cum quis aliquando medicis suggessisset hæc et ista illius gustui magis arridere, ipse homine placide et sine interruptione audit, conversus ad medicos: « Domini, ait, quidquid iubet, præscribite, nullius rei habito respectu; siquidem Numine propitio, quidquid nomine vestro mihi porrigetur, hauriam. » Et observatum est, si quis per immodicum amoris affectum, aut ignorantiam importunior illi foret, nullum molestiæ signum ab eo præbitum fuisse, tametsi, qui presentes aderant, nonnisi gravato intempestiva illa officia spectarent. Sub vitæ finem cum mente aberraret, quod B. Xaverio contigisse ferunt, illud quoque Vincentio usque venit, ut sermo illi omnis de rebus divinis, atque ad regimen spectantibus esset. Nimirum insitæ sanctimonie radii, ut sæpe nolenti, atque invito, ita et mente destituito foras erumpunt, virtutis habitu, quem piæ cogitationes, probæque actiones peperere, natura agente, atque ad similes impellente, Cæterum proximo ante aberrationem, quotidie SS. Eucharistiam exceperat, ac postremo in Viaticum: quo postremo tempore, qui aderamus, omnes mirifice ad pietatem, amoremque sui permovit. Præfatus enim est, antequam divino pane se reficeret, sed de sacro Viatico sumendo magna sua voluptate monitum maxima participaturum; quando sanctissimum Eucharistiæ epulum vitæ quidem tempore ejus amaritudinem mitigat, sub mortem vero in Viaticum acceptum, vere viaticum est, viaque ad beatam æternitatem. Deinde habere se, agere, quo hono Deo gratias, æternasque acturum, quod eo loci ac temporis eum adduxisset. Præterea semper destinasse quæsiissetque illud impense, ut omnes solaretur, quantum ei fas esset. Denique ne post mortem quidem quidquam adeo cordi habiturum, ut secundas, adversasque res Societatis. Hæc cum pronuntiaret, satis apparebat, illum

loquendo non parum laborare. Et certe peregre sensa sua exprimebat propter summam imbecillitatem. Itaque rogatus est ab aliquo assistentium, ne ultra se torqueret. Cui Vincentius: « Non molestiæ, ait, sed magno solatio mihi illud est. » Tum iis, qui aderant, universæ Societati bene est precatus. Quod ut rite faceret, brachium illi attolli oportuit: vel enim nec ad hoc sat supererat virium. Simul missus, qui a Summo Pontifice indulgentiam, bonamque precationem postularet: quam ipse cum singularis in Vincentium benevolentie significatione illico concessit, ut qui ab ipso morbi primordio corporis illius valetudinem medico suo sedulo commendarat, abituram animam votis, et quo licebat favore prosequeretur. Cum igitur a Pontifice redisset Italia Assistens, ægrum eo nuntio recreavit; qui et grates sanctissimo. Patri maximas habuit, confirmavitque precaturum se Numen, ut eum, ejusque regimen prosperis rebus ad universæ Ecclesiæ bonum cumlaret. Et quia idem Italia Assistens per absentiam suam faustis Vincentii precibus impertitus non fuerat, petit, ut ne iis frustraretur: quare et illi, et nobis, qui in conclave reliqui eramus, majore etiam quam prius vigore prospera comprecatus est. Deum morbo in dies invalescente post elusa omnia remedia humana, die 8 junii, qui in feriam tertiam incurrebat, ad dimidiatam octavam matulinam, quarto, et sexagesimo ætatis anno, Christi 1640, inter suorum lacrymas, precesque totius domus, et Societatis Romæ degentis, mortem tandem, totque votis expetitam placidissime oppetiit, ut vitam immortalæ navi omnes exortem Deo viveret. *Vita*, l. I, c. xii.

P. Franciscus Piccolomini nonus Societatis Jesu Generalis erat, cujus dolores cotis instar erant ad illius ingenium, cor, verba mirifice acuenda, et inflammanda, cum admirabili virtutum solidarum exaggeratione suam patientiam cumlaret suspiriis gratiarum et amoris plenis: « Non meum, aiebat, Domine, sed tuum est dicere: sufficit, Domine, sis benedictus! Hæc mea viscera debent liquefieri, dissolvi, sis benedictus! » Commendationem animæ recitari petens dicebat: « Eia, ponite animam meam in manum Angelorum. Veni, Domine, noli tardare. » Convenit etiam cum uno et altero, ut ad signa, quæ daturus erat, absolveretur eum loqui non posset, id in agone fecit. Petebat postea lætior dolores sibi alios alii addi, ad illos exantlandos paratus in millionibus annorum. Jo. Card. de Lugo illi a Pontifice benedictionem attulit. Preces pro se fieri non aliter voluit, nisi ut moretetur benedicens Deum. Inter dolores, qui tota illi viscera excubant, dicebat lætus eundem Patri: Morimur, et ridemus. Aquam, quæ illi recreando illata fuerat, ut biberet, aliquando totam effundebat, et dicebat: « Libemus Deo: hoc enim esset querere delicias in cruce, in qua me posuit Deus. Serva mihi aliquem angulum in tua cruce, crucifixæ mi Jesu: Ecce me ad patiendum amplius, etiam per totam æternitatem, si tibi sic placeat, Deus. » Dixit eundem hilariore quadam spe undequaque perusus, quod, cum Deus incipit auferre timorem quemdam (uti ipse tunc experiebatur) pati sit res longe dulcissima. Animabus etiam, quæ in Purgatorio patiuntur, se crebro ardentereque inter dolores, ac æternæ felicitatis desideria commendans dixit, se omnia ea Sacra, quæ ad intentionem Generalis fiunt quod hebdomadis, illis transcripsisse: nempe ut illæ apud Deum optime omnia expedirent negotia, pro quibus illa Sacrificia destinari possunt: quæ ars felici successu solet a Deo coronari. Cum actus fidei faceret, rogabat Beatissimam Virginem, ut, in quo ille deficeret, e sue fidei plenitudine illa suppleret. Post communionem auditus est aliquando dicere: « Domina, patere, quæso, ut merita tua offeram Deo meo; cum enim propria non habeam, nisi tua offerrem, vacuus in conspectu Domini apparerem. » Cum id per vires adhuc posset, per quartam horæ partem nudis humi genibus persistit petens, ut B. Virgini dedicato die Sabbati mori posset. Obtinuit, 17 junii anno 1631 extinctus. Desiderabat per morbum aliquando videre cœlum e fenestra, et dicebat: « Heu, quam sordes terra, dum cœlum aspicio! » Tum Deum oculi coram tota ejus curia adorabat, sæpe illi in ore illa: « Paradisus! Brevi, brevi! spero istic erimus. » Magnificat sæpe, ac tenere secum repetebat, illa potissimum: Et exultavit spiritus meus, etc. « Dolores, aiebat, pro amore Dei cum patientia tolerati sunt mensura itineris sursum. Quare oportet mensuram istam habere bonam, conferam et coagitatam. » Voluit Sacrum in S. P. Ignatii cubiculo celebrari et per illud petiit animam suam immergi in sanguine Salvatoris. Quo plus patiebatur diros illos, et

longissimos calculi cruciatus, eo se magis ad reddendas Deo, quasi pro novis beneficiis, gratias effundebat confessione quotidie sapientius instituta; quousque denique expiravit. NADAST, c. XXI, *Pret. cogit.*, n. 11.

P. Alphonsus Salmeron, unus ex primis S. Ignatii Sociis, sentiens vitæ finem imminere, libris clausis, rebusque aliis omnibus valere jussis, hoc agebat unum, quasi jam universæ carnis viam ingressurus, medicis, ut solent, animum blandis verbis ægroto addentibus, bono ut animo esset, non adeo cito interiturum. Constanter ille, quod evenit, fore, ut vivorum e numero brevi eriperetur, affirmabat. Dicente altero: « Confide, Pater, equidem dabo operam, quo adhibebit, ut convalescas. » Ad hæc ille: « Da potius operam bene ut moriar, cœlumque petam: id enim mea permagni refert; quoniam melior est misericordia Domini super vitas. » Interrogatus a Socio Sacerdote, ut haberet, hilari vultu respondit: « Oblatum est de præterito, presenti, et futuro. » Alio quærente libenter mortem obiret, dictum illud Episcopi ejusdam apud Augustinum intulit: « Si aliquando, cur non modo? » His per similia mentem animi testabatur, quidque illo fieri vellet Deus. Igitur licet rite confessus ægrotans sacra divinæ hostiæ mysteria sumpsisset, iterare tamen Sacramenta, totiusque anteactæ vitæ errata, in tutis Sacerdotis auribus deponere voluit: allato itaque pane Angelorum viatici nomine « Expectate, inquit, venit Deus: » cumque virium imbecillitate membris uti non posset, in cubitum tamen nixus, admirantibus, qui aderant, sociis assurrexit, pique est epulatus. Socii obnixè rogant, ut vita migrans, bene illis dicendo crucis signo precaretur; recusatur enim, qua erat animi modestia, usque ad eum diem; victus tandem precibus, sublatisque in cœlum oculis Deum venerans bene precatur Sociis. Latine locutus hisce verbis, ut, qui aderant affirmarunt: « Patres, inquit, mei optimi, et Fratres in Christo charissimi, semper ego vos dilexi, et nunc maxime diligo; etsi non haberim intimam conversationem cum omnibus vobis tamen ego semper vos dilexi, et desideravi vos pervenire ad eam vitæ perfectionem, ad quam vocati estis in hac sancta Societate Jesu. Ego jam meæ conversationis, et vitæ rationem reddidurus, decrevi novo modo vos alloqui. Propterea quando Deus pro infinita sua bonitate voluit me vocare, decrevi vos

benedicere nova benedictione. Precor igitur Dominum nostrum Jesum Christum, ut dignetur vos protegere, manu tenere, et benedicere, ut possitis respondere huic beneficio vestræ vocationis, et pervenire in regnum cœlorum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. » Gratiam quoque imploret, qua ratam Dei vocationem habentes, salvi fiant. Mox sese colligens, et blande suaviterque cum Deo colloquens, versus alii quot e Psalmis usurpabat, ut illum: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » Et: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. » Et id genus complura. Crucis signo sese frequenter muniebat, aqua item lustrata aspergens: Nilil vero cruciare, animique tranquillitatem labefactare, ita vixerat, videbatur. Rogante Socio, meminisse rogare pro Sociis? « Dubitare mihi videris, inquit, quasi vero tam ingratus sim futurus. » Oleo jam sacro cum inungeretur, sedato animo ad singula respondit; rogavitque, « Quando octavus esset a B. Agathæ festo dies? » Cras, inquit socius; tum ille: « Hic vitæ nostræ terminus est. » Nocte, quæ subsequuta est, identidem illud balbutiens iteravit: « In vitam æternam. » Et: « Hodie vitæ ærumnis tandem eripiar. » Usurpabat et illud: « Lætabitur anima mea in Deo meo. » Quid ita hilaris esset interrogatus: « Quod, inquit, misericordiæ vias patefacere incœperit Deus. » Sanctorum Litanias frequentius recitari jussit, quodque attentissime auscultavit, de Christi cruciatibus Evangelium: in quo repetere quædam loca anagnosten recitando jussit. Cum vox jam defecisset, labia agitare crucis signum manu effingere, deficientibus tandem membris, oculos in Christi de cruce pendentes, Deiparæque Virginis effigiem defigens acquivit: quibus tandem oculis fractis clausisque placide in Domino obdormivit, ut somno captus videretur, juxta illud Prophetæ: « In pace in idipsum dormiam, et requiescam. » Erat is dies Iduum februarii anni 1585, ætatis vero septuagesimi. *Vita*, f. 246.

Petrus Faber itidem unus ex primis S. Ignatii Sociis vel eo ex capite morte preterita defunctus dici potest, quod cum Christo humiliaverit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Postquam Gandiæ primum pro Collegio ædificando lapidem potuisset; inde profectus, Barcinonem ubi attingit, æstuate febrilis cœpit. Dumque ne

ipse quidem in confessionibus, ac concionibus parci sibi, sed honestæ quoque piget quietis, et otii, cui satis exhibebat tertiana negotii, serius convalescit, seriusque in urbem intrat. Fervebant jam caloribus omnia, infesto caniculæ signo. Nec probat Ignatius eo articulo in urbem ingressum. Sed cum adhibiti in consilium patres contra censerent, vimque elearent discrimini, uti his Ignatius, ita Faber utrique, pio ac cœco quoquam obtemperandi studio cessit. Romam, quo non raro vel valentibus, mordente sidere pestifer est accessus, imbecillus, ac prope æger accedit. Exhilaravit omnes tanti Patris aspectus, de quo, dum octavum jam prope annum tam longe, lateque peregrinatur, tam multa audierant. Exhilarabant inde magis spirantes Deum voces, et exempla vita consentanea famæ. Gestiebat vero gaudio, et ipse tum Ignatii adeo sibi chari, venerandique Patris usu fruens, tum gratias Deo agens de Societatis incremento, quod sancta in urbe reperit, deque pietatis disciplina, quæ in illa, quasi totius Societatis parente, domo florebat. Sed gratulatio brevi vertit in luctum: octavo die tertiana corripit duplici, ex eaque octavo item die, qui Dominicus fuit, cum sacrosancto Viatico eodem die mane, postea sacro Oleo rite munitus esset, sub meridiem multa quæ vitæ anteactæ sanctitatem, et ineuntis beatam æternitatem declarabant, argumenta relinquens, ad Dominum emigravit. Alibi de eodem memoriæ proditum leges, quod post mortem visus est in cœlo cum magno splendore conspicuus, eo quod ex obedientia mortuus fuisset, in summis caloribus Romam intrare jussus. *Vita*, l. I, c. xxii.

P. Petrus Canisius quam pie sancteque obierit, vita illius sequentibus verbis testatur. Pedes quarto ante supremum ejus diem mense, suffusa intereunte unda, intumescere cœperunt, qui et sensim reliquum corpus in eandem labem traxere: stomachus aversionibus laborare, et crebros ciere ructus, ut etiam fauces exulceraret. Crebrius tamen sedebat per diem, quam lecto decumbelbat, quo maxime urebatur, nec morbi genus sine gravi labore lectum admittebat, quod in hydropo non ignotum, quando humoris copia jacentis cor petit, et meatus pulmonum liberos intercludit. Viserat illum paulo ante Joannes Comes Turrianus, Episcopus Viglianus, quocum multa familiariter tractarat: a cujus digressu mox fatali agritudine con-

factus, et sacras ex ritu Ecclesiæ preces recitare prohibitus; quod unum ægro relinquatur, animum cœlesti contemplatione pascibat, seseque Numinis curæ totum permittebat, cum subinde dicitaret, magnas se Deo gratias debere, quod extremos vite dies more Majorum et SS. Patrum exemplo, non sine magno corporis cruciatu transigeret: singulis mortalium æterna lege præscriptum quibus initis vitam ordiantur, qua forte spatium aevi decurrant, quo denique lethi genere ad metam perveniat. Triente anni in hoc morborum conflictu jactatus, cum, qui medicinam illi faceret, desideraretur (quod anno superiore Petrus Quintius disciplinæ mendendi in paucis gnarus, et Canisii studiosissimus satis concessisset) nihil, inquit, opus siliciorum medicamentis, ad plures eo. Pridie ejus diei, qui S. Thomæ solemnis est, Martino Lycio Collegio Moderatori animadvertenti Canisium collapsis viribus etiam lingue usu ex distillationibus prope destitutum (quod ægre loquentis vox ægrus a circumstantibus acciperetur) admonenti de animo ad extremam mortis luctam confirmando, videri ultimum illi vitæ discrimen imminere, promptus annuit, imo ultro petit; et postridie, qui Dominicus erat cœlesti Synaxeos epulo pastus jacuit supinus in rerum divinarum meditatione usque ad meridiem assidue defixus. An cœlesti aliquo Virginis ac Matris Dei (cujus laudes ingenti volumine celebrarat) viso exhilaratus, in certum; oculis certe in eam gratulantibus intentus, renitente vultu, cœpit illam Angelis verbis salutare, et coronam legere. Interventientem postea virum clarum, et Canisio familiarissimum Joannem Wildium hodie Prætozem, seu Duumvirum, et secundum hunc, Sebastianum etiam Veronium prope lectum assistentem preces ad Deum pro se vivo mortuoque fundendas poscit, nec verbum amplius adjecit; sed ex libello precatationum usu diuturno prope attrito, vota ad Deum ultima admodum attentus præ se sensit inter que cum et manus fluent, et sensus omnis extingui videretur, rogatus, an sacro oleo, quod supremum depositis est præsidium, vellet inungi, nutu affirmavit. Sodalibus ergo in decumbentis conclave coactis lectumque certam ambientibus inter vota precesque Patrum, duorumque e S. Francisci Sodalitate Capuccinorum, et Christophori Reiffii Viri Senatorii, Antonii Montenachii Archigrammatei, e fesso vic-

toque laboribus ac morbis corpore, spiritum velut e vinculis expeditum auctori vitæ, ante quartam pomeridianam commendavit, ipso die S. Thomæ anno partæ salutis 1597 cum vixisset annos 76, menses 7, dies 13. Postridie funus inedicula Collegii expositum totam fere urbem ad spectaculum adduxit, quæ velut communem gentis, et singularem civitatis patronum, ac parentem deploravit. *Vita*, l. II, c. x.

Robertus Bellarminus e Societate assumptus Cardinalis, ex Congregatione domum reversus, illico cepit ex morbo periculose decumbere, et febris defatigari continua, quæ duplicis tertianæ, ut dicunt, proportionem habens vigesimo die ad extronum illum perduxit. At quo magis Roberti debilitaretur corpus, eo magis videbatur spiritus roborari, et inusitato ac maximo gaudio delibutus, quod ultimam sibi instare censeret horam commigrandi ad æternam vitam, quam domum ipse suam appellabat, ut cum Domino æternum requiesceret; adeo ejus ferebatur desiderio, ut terrenarum rerum nauseam habere, se satis diu vixisse, et domum suam frequentissime repeteret; neque ab isto sermone cessare unquam audiretur, sive febris incederet, sive dolor affligeret, sive lassitudo dissolveret, sive aestu caloreque febris a mente aliquando aberraret, sive illius sanitate integra uteretur. Rogavit igitur, et efflagitavit enixis precibus, ne sibi occultaretur periculum decessus ex hac vita, qua maxime oneratus molestiam excipiebat, et ideo a Rev. Mutio Vitellesco Societatis suæ Præposito generali, quem semper speciali observaverat amore, fidem dari ultro sibi voluit, ne sibi ejus certitudo differretur. Ab iis vero, qui hostias et preces pro se offerrent, illud nunquam requirebat, ne vitæ suæ a Deo peterent inducias; imo Summum ipsum Pontificem, qui invisere illum accesserat, cum audisset Deum inter aras et Sacra pro se precari, rogavit humillime illo concilio in posterum facturum, ut a Deo gratiam obtineret, non ut a mortis periculo liberaretur, sed ut citius ab hujus mortalis vitæ vinculis posset dissolvi, et ad Christum ac patriam proficisci. Cum autem ministrantium circa se studium videret: En quanta, dicebat ille, ob hujus vernis et vilis pauperis sanitatem patrantur, deturbantur quanta? Quare graves prohibuit sumptus, ne in se perderentur ea, dum Christi pauperes non panem, non stratum haberent. Adver-

sus morbi contumaciam industriam in se non deberi, utpote qui jam nihilo inservire posset. Medicos ideo alloquebatur simul, quod ad suam progredi domum sinerent, neque impedire quærerent ne homo mortalis, jam expleto vitæ suæ tempore, moretetur. Minime tamen recensabat ipsorum acquiescere præceptis, cum se omnino divinæ crederet voluntati, et redderet e vestigio paratissimum non modo illorum, sed cujuscumque etiam ministrantium edicta exequi. At quam alte in se virtutes hæc defixas haberet, et innatas, illo præsertim apparuit tempore, quo sui morbi initio per aliquot horas ex graviore febris infestatione delirans, inter sacras colloctiones et humilitatis, ac obedientiæ actus se continuo exercebat. Monuerunt interea medici illum melius se habere, ac communi gratulatione gestiebant, dum solus ipse altissima cordis mœstia correptus, querebatur, quod a spe proxime commigrandi ad domum retraheretur. Quare lacrymosis sæpe singullibus celestem Patrem exorabat, ut ad se illum juberet venire. Nescio, aiebat ille, me adhuc ulli malum per Dei gratiam dedisse exemplum: at quid in posterum mihi sit futurum, ignoro; plurimos enim scio, et perhorresco ad hanc pervenisse ætatem Deo gratissimos, qui, cum diutius vixerint, salutis suæ dubium reliquerunt. Nec præmi dolore, et intimis afflicti ejulatus cessavit, quin prius in die B. Virginis Nativitatis dicata intellexerit tempus tam exoptatum appropinquasse. Quo confineri minime potuit, quin præ festinatione alta claraque voce ter repeteret hæc verba: O hominum nuntium! Sacratissimo igitur viatico pro sequenti die indicto, eadem enim mane et altera ex præcedentibus, venerabili cibo cum veræ pietatis significatione se recreaverat; S. Caroli Borromæi mortis lectionem audire voluit; et quia jam per decem annos antea testamentum de humanis sapientissimè considerat celestibus, ideo tantum incumbens meditationibus et colloquiis, etiam de spiritualibus testaturus, medietatem unam animæ suæ dulcissimo suo Christo Jesu, alteram vero Sanctissimæ Virginis Mariæ legare, ipsemet ego audivi. Sequenti vero mane cum Dominum et Creatorem suum venire cognovit, summa cum devotione et humilitate e lecto surgens humi stratus, et genibus flexis (vires subministrante charitate) percipere voluit, illique ex toto corde ago-

nem suum commendare. Gratiarum autem actione persoluta duo sibi promitti curavit, quæ testamentum suo conscriberantur. Unum nimirum, quod sine ullo apparatu sepeliretur. Alterum quod efflueret in sepulchro Patrum suæ Societatis. Neque sex horæ elapsæ erant, quod Sacramentum Unionis porrigi instantissime postulaverit, ut in prælium cum morte descensus, dum validis uteretur sensibus iis etiam armis muniri diutius minime protraheretur. Reverendum deinde Patrem Andream Eudemiojoannem ejusdem Societatis, cujus doctas Scriptiones Robertus semper, summa veneratione suspexerat, rogavit, ut litteris testaretur se per misericordiam Dei in Ecclesia Catholica, et a fide decedere, quam semper animo et scriptis suis professus fuerat, ac ne de ea aliter morientem sentire, vel sensisse unquam, quam operibus docuerat suis. Dissolvebantur interea piissima illa vincula carnis et spiritus, dum ipse in cubiculo cordis sui, et intra se tacitus caelestia lætabatur mira cum pace meditari, et beatos affari spiritus, ac felicissimas audire voces videbatur, cum ministrantes observaverunt, quod aliquando plenus animi, et ardore quodam spiritus gestiebat ferri in cœlum, et Deum obsecrabat, ut carnem (aiebat ipse) putidam et verminosam divideret, quæ sibi ad ipsum commigrandi erat impedimento. Imo ipsamet etiam proprii brachii carnem altera manu desumens sic loquebatur: Quid non disrumperis caro proditrix? quid agis? quid differs? Ad Deum vero reversus dicebat: Non mea, sed tua voluntas fiat. Aliquando vero in innum se humilitatis abiciens videbatur pertimescere divinum iudicium, et iis, qui in suprema Patria Deum pro se precari exorabant, respondebat: Nimis magna est res ita, non tam facilis est via, quæ ducit ad vitam: magnum Dei beneficium in me futurum existimabo, Purgatorium etiam per multos annos obtinere. Addebat tamen, quod si salutis sedem fuisset adeptus, pro omnibus, ac pro Patronis, ac benefactoribus suis præsertim, minime orando defuturum. Suscepit postremam, et saluberrimam Pontificis benedictionem, ac ut majori perciperet veneratione et fructu, confessioni illam, aliisque orationum piis precibus voluit antevertere. Tandem Creatori suo spiritum reddidit, sacratissimam Christi e cruce pendentis effigiem per iteratos amplexus pluries

exosculatus, labentibus brachii capiti suo impositus in supremæ devotionis signum; deinde vero ad pectus illa dulciter stricta, brachii in ipsiusmet crucis figuram cancellatis, Apostolico Symbolo, Psalmo quinquagesimo, Orationi Dominicali, et Salutatione Angelica clare distincteque pronuntiatis, semimortuis postremo vocibus Jesum trigesies invocavit. Et jam destitutus voce clauserat oculos, et membra cœperat explicare, cum in ultima conflictatione specie vultus hilariori in Redemptorem suum iterum defixis oculis et ore ad loquendum composito placidissime tradidit animam hora secunda post solis ortum, feria sexta, quinto decimo kal. octob. anno post Christum natum 1621. *Vita*, c. XLII.

P. Ballhassar Alvarez post magnos in officio Visitatoris labores superatos, cepit Villarcii diligentias præscriptas adhibere, ad obtinendum magnum Jubilæum a Gregorio XIII, pro felici rerum Ecclesiæ progressu concessum. Jejunavit ergo cum magna severitate utraque septimana a Jubilæo præscripta, nemine potente illum impedire, quamvis ob suam debilitatem satis esset excusatus. Jejunio illo debilitatum est valde corpus, quamvis sensim spiritus ad id, quod illi imminet, disponeretur. Accessit temporis illius magnus aestus, et quem in ipso itinere mense Julio sustinuerat. Quare cum ad Collegium Belmontense pervenisset, incidit in febrim: quam nec medicum, nec domesticum magni faciebant. At sanctus Pater intellexit horam suam adventis et ita se ad mortem cepit preparare. Confessus est generaliter Socio suo P. Alphonso Mentojo: communicavit magna cum devotione, petitque valde tempestive, et accepit Extremam Unionem, editis magnis iudiciis reverentia, amoris, et estimatæ Sanctorum horum Sacramentorum, et gratiarum, quæ per illa sibi communicabantur, ac beneficii, quod accipiebat a Deo, volente ipsum ad se vocare. Nolebat visitationes admittere, ut eo esset expeditior ad orandum, et agendum cum Deo suo. Et cum ei socius diceret, ut aliquem constitueret suo loco, respondit: Ne, quæso, de negotiis mecum agas; non est enim tempus. Medicus volebat ei periculum indicare, et quam prope finem ejus esset vita, cepitque aliquam per ambages quasdam insinuate, nolens aperte id dicere: quem cum Sanctus Pater bene intelligeret, dixit valde expedite,

et sine ulla hesitatione : Non est, cur timeas, aperte mihi dicere imminere mihi mortem; quia nihili facio vivere, nec doleo, quod moriar. Quidam alius Pater videns pacatum animum, quem ostendebat, ad exeuendum de carcere hujus corporis, interrogavit, an gauderet, et libenter moreretur? cui respondit: Si in aliquo tempore, cur non jam? quo responso bonæ suæ conscientiae testimonium, et salutis suæ fiducia indicavit. Sed quid mirum, quod eam habuerit in fine tam sanctæ vitæ revelationem, se esse ex numero Electorum ad celum. Accesserunt omnes, qui in Collegio erant, ad hunc ejus transitum, multis profusis lacrymis. Et quamvis omnes oparet, in ea hora aliquid edificationis ex ejus ore audire, vir tamen sanctus, noluit eorum orationem interrompere, nec suum internum cum Deo colloquium, in cujus presentia cum magno silentio et quiete finem impositi vitæ suæ, reddens spiritum suum Deo, septimo die suæ ægritudinis, hora quinta vespertina, die 25 Julii, S. Jacobo Apostolo sacro, cui ipse erat valde pie addictus, anno 1580, ætatis suæ 47, et Societatis 25. De qua morte testatur P. Ludovicus de Ponte, quod quaedam Dei ancilla insignis penitentia, et magnæ orationis, cum die quodam orationi vacaret, audierit sibi dici: Veni, ut intersis morti ejusdam fidelis mei servi. Et tunc rapta fuit in spiritu ad quemdam ægrotum, ubi vidit circa ejus lectum multos viros Ecclesiasticos, magnum splendorem ex se ipsis emittentes, et cum illis magnam multitudinem Angelorum. Postea ingressi sunt quinque alii in habitu Ecclesiastico, sed cum majori gloria et splendore, quam priores, quorum unus clarum adeo et splendenter habebat lucem, ut ipsa cogitaret, eum esse Christum Dominum nostrum: sed monita est, non esse. Hic ægrotum per manum dextram accepit, et erexit; alii vero quatuor ad ejus latera, et reliqui circum circa, qui simul cum Angelis animam ejus in celum magno cum gaudio, et musica deduxerunt, duo vero ex Angelis apud corpus remanserunt, ungentes et thurificantes illud. Quæ Beata cum solemnibus adeo exequiis vidisset, animaque adeo gloriosum accensum, existimavit esse quemdam Episcopum in Italia, magnum Dei servum, quem illa valde reverebatur, ac diligebat: sed revelatum eidem est, non illum esse, sed Provinciale Societatis Jesu Provinciæ Toletanæ.

Statim autem post hanc visionem (quam ut diximus eodem die habuit, quo B. Balthasar obiit Belmontii) venit illa, ut eam suo Confessario referret, Patri scilicet Christophoro Riverio viro vere sancto, prudenti, magnique spiritus, qui et postea fuit hujus Provinciæ Præpositus Provincialis, qui sollicitè examinavit, quæ illa retulerat; et quando nuntius venit de morte P. Balthasar, facta omnium circumstantiarum collatione, invenit de eodem esse accipiendam hanc revelationem. *Vita, c. LII.*

P. Ludovicus de Ponte processerat ad septuagesimum annum vitæ tam exhaustis viribus, ut miraculo videretur spirare, cum sæpe mentionem fecit sui diei, quasi jam de illo certior factus a Deo, quocum integras fere noctes agebat, vix horæ dimidio concesso quieti, modo gaudio exultans appropinquans, quam sperabat, beatitudinis, modo timore percussus imminenti judicii. Et gaudium quidem, cum a quodam Regio Ministro nomine suæ Majestatis invisetur, dissimulare non potuit, sed dixit, idem sibi nunc evenire, quod leproso illi, qui a quodam, venationis causa nemus oberante, repertus suaviter cantans dixit, se canere præ gaudio, quod videat parietem ex limbo constructum, qui solus a Deo se diviserat haclenus, jam caducum rimas, et ruinam promittere. Timorem autem judicii multis modis ostendit, sive cum diffuens lacrymis ad pedes Crucifixi oravit veniam delictorum, sive cum ingeminavit sæpius illa verba: « Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare: » sive denique cum quinto decimo die ante ultimum, generali confessione omnium totius vitæ noxarum in tuto se collocare studuit, et cum Petro de Sandoval Confessario egit de transitu suo paucis post diebus futuro asseverato dicendo, tempus resolutionis suæ instare. Ultimo vero die, dum adhuc aliqua dictaret voce minime moribunda, sæpius interrogavit, quænam sit hora, quasi præscius ultimæ, petiitque, nisi tali hora, quam nominabat, venerit medicus; eo non expectato, sacro oleo inungi ad lucam supremam, nemine credente moriturum tam cito, cum etiam non laboraret pro aliorum salute, neque fere debilius videretur, quam fuerit a multis annis. Quod autem præciverit horam sui discessus, multi conjeecerunt ex iis, quæ dixit, egitque. Nam cum, nescio quid eliquatum pro se inferri videret, dixit se

citius vitam eliquaturum, quam illud absurdum. Ultimo die, consumptis quinque circiter horis in componendis suis chartis, opera Francisci Pellizeri, sub vesperam sollicitus de suprema Uctione, cum interrogasset, quæ sit hora, et cognovisset esse quartam, respondit, superesse adhuc satis temporis: cum autem sexta esset, dixit Didaco Sosa Rectori, jam non amplius expectandum; et commodum superveniente medico, nihil de medicamentis agi voluit, sed ab illo petiit, curaret, ne differatur sacra Uctura. Is tamen nihil admodum in ejus valetudine variasse notaret, nisi quod videatur paulo debilius, quam alias, magis ejus consolandi causa, quam quod crederet necessarium esse, censuit inungendum. Ludovico de Valdivia ultimo mane dixit: « Tempus resolutionis meæ instat, ora pro me. » Francisco Cachupino pro veteri confidentia quærenti, quid hic, de quo audiat, apparatus ad mortem sibi velit, oculis ad crucifixum conversis, aliquoties repetivit eadem verba: Apostoli, addendo, ut se Deo commendat. Alias quærenti, ut valeat, dixit se tres aut quatuor horas extra se fuisse. At ille præ reverentia non ausus est interrogare, ubinam fuerit, et quid viderit. Eadem dixerat, se illo die sacrosancto Sacramento Jejunium reficere velle, ut altero die post cibatum, possit eo frui pro viatico, Sexta igitur, qua diximus, hora cum ungeretur, animo presente respondit ad omnia, ac postea voce submissa repetivit identidem illa Christi orientis verba: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: » neque alias preces fudit, quam quibus imploraret misericordiam Dei; et post consuetam commendationem animæ, cum jam sacris omnibus munitus desiderasset relinquere solus, non est auditis alia dicere, quam illa: « Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare. » Et pro consuetâ sua humilitate, imitatione S. Patris nostri Ignatii, nulla ad circumstantes adhortatione facta, satis habuit relinquere illis exemplum modestiæ. Cumque alias fere insomnes ageret noctes, ac dormiens quovis levissimo strepitu expergisceret, tunc in somno (seu raptus mentis fuerit) tam alto jacuit, per duas fere horas, ut nullius ingressu vel colloquio excitaretur; donec hora decima velut e dulci quiete reversus ad se, cum aliquid ad restaurandas vires præbere vellent, negavit earum rerum tempus jam esse; sed

petita et accepta in manus candela ardente, quales in monte Serrato consecrari solent, conversus ad crucem, submissa voce dixit iterum: « Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare: » ac post ultima verba Christi spiritum exhalantis, capite inclinato ad crucem, vultuque in pulvinum cadente, quasi dormire vellet, sine omni convulsione membrorum, paulo post placidissime felicem animam reddidit Gondoni, decima sexta februarii millesimi, sexcentissimi vicesimi quarti, dimidia hora post decimam. *Vita, l. III, c. 1.*

P. Bernardus Colnagus non nescius Sacrum Missæ Sacrificium, cui se accingebat, sibi ultimum, adeoque pro viatico in celum futurum, animam ex omologesi apud conscientiam suam, et simul Collegii Rectorem (P. Demetrius Licander is erat) de more expiare statuit: qui tamen, cui scilicet perspecta erat Bernardi anima, nitorque eximius, sine cura esse jussit. Tret modo, Sacrisque sine metu operaretur, expiatione nihil opus esse. At Bernardus contra modestè obniti, instare non levibus rationum momentis, ac supplicibus votis rogare, se cætera semper dicto audientem fuisse: nunc vero, quo minus ad nutum pro more acquiescat, majorem Dei gloriam, et animæ suæ commodum postulare. Gratificaretur ergo hanc sibi operam, ac de noxâ sese accusantem lubens audiret. Id ubi impetravit, sine arbitris magna accuratione ad Sacrificium angustissimum supra consuetam comparandi sui rationem semet accendit, idque inter suavissimos amati Dei amplexus eo usque produxit, ut solitos duarum horarum fines multum etiam excederet, exarsitque adeo manifestis in pectore flammis, ut ob sparsum toto vultu et corpore incendium chara Deo victima in cineres redigenda timeri posset. Exinde totum se gratis agendis impendit, donec in concionem fuit prodeundum, de bono Pastore, ut verba faceret. Vix tamen ingressus erat ad dicendum, vix thesaurus verba paulo fuisus explanaverat, cum Deo sic moderante, repentina capitis defluxio cor dicentis oppressit, simulque respirandi ac perorandi facultatem prope omnem abstulit. At ille nequequam territus, animos sibi sumere viribus majores, vim naturæ non modicam inferre, verba quidem ægre moliri, ceptam tamen dictionem, quoad licet, prosequi non destitit, donec novo irrute fluxu prostratus, pronus in

suggestum incubuit. Tum exortus clamor auditorum, mœror et sollicitudo concionis, commiseratio et pius in Patrem charitatis ardor. Accurrit, levatur, et alienis fultus brachiis ad valetudinarium a Patribus deportatur, ac ducitur; sequitur effusa populi multitudine, precesque ut impertiatur, jam non concionatorem, sed vatem obsecrat. Ille ut primum redeunte spiritu formare verba potuit, denuo exorsus prolixam de æternis gaudiis et cæli gloria, præmiisque Beatorum sermocinationem, duas ipsas horas perorando, præsentibus flammis adhibuit, nec ante dolore et amore saucios a se dimisit quam tertium infesta capitis non jam desiffatione, sed nimbo obrueretur; ita quidem ferebat opinio. Compertum autem postea fuit, extra se raptum esse, uti in tempore dicemus. Certe momento citius omnem sentiendi vim perdidit, neque aliquid potuit, quam ut nutu extremum inungi postularet: quod ubi factum, erumpentibus extrema febris indicia sine voce, sine sensu a medicis pro deposito est habitus. A quo tempore sine cibo, clausis plerumque oculis, dies adeo quinque velut in mortuum jacuit, nisi quod affluentem turbam, et sive manus ad osculum expectentem, sive aspectu tam feliciter occubentibus defixam, ipse quoque paternis interdum oculis serenitate frontis oppido exhilarari, alta potius contemplatione defixus, quam violentia morbi a sensu alienatus: qui enim attentius eum e vicino observabant, divinis occupatum colloquiis, psalmisque recitandis audiebant intentum. Appetebat interea dies, qua cum moriente Dei Filio se moriturum ante gestiens non raro cantillaverat, cum propior morti, dato æris campani signo inter consuetas Ecclesiæ preces, quas circumfusa Patrum Fratrumque corona recitabat, velut e gravi somno excitatus, ad se sensumque officia revertit; et dum inter cœlites, ut in extrema lucta certant adesse dignentur, ex ordine compellatos, S. Agatha quoque, ceu Bernardi studiosissima ad nomen vocabatur, oculos in cœlum sustulit, vultum omnem serenavit, et blande subridens inclinato capite, divinam Martyrem, velut matrem, quam sexaginta amplius annis tenere dilexerat, salutaturus, puram in manus Conditoris animam exhalavit, idque tam celeriter, ut qui preces Litaneuticas fundebant, iterato: « S. Agatha, ora pro eo, » ingeminare, aut præeunti respondere non possent. *Vita*, l. I, c. XVII.

P. Leonardus Lessius tolerantia, quam doctrina, aut eujuscumque dotis laude certe non minor in sublimi patientia palestra non ultimum nomen, eos, quos in diversorii lecto jam olim acceperat, corporis totius humores, et fœdam scabiem exesuram tibiarium, intestinorum ac stomachi tormine, herniæ geminæ, tibiæ curru everso contractæ, duorum calculorum ovo gallinæ parium, diuturnos, acutissimos, acerbissimosque dolores, ita generose tulit, ut gratias ageret. Aliquando æger inter tot, adeoque acerba tormenta respirans, conversus ad Deum: « Omnia, inquit, excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt, Domine. » Pleni dolorum dies, plene noctes: situs omnis absque requie illa corpus miserum cruciabat, idque totis ultimis vitæ quatuor annis. Quis ego sum, inquebat amanter, inter atroces dolores, quem Deus ad patientium sibi elegerit? Miror non raro, ad tantum certamen a Deo me tam imbellem athletam designatum esse. Sed: « Benedictus Dominus in æternum. » Ad alium: « Accipio totum, inquit, de manu Dei, qui memor erit in die visitationis hujus afflictionum. » Sæpe illi in ore: « Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? » Dicebat, dulcissimi Nominis Jesu vi mellea sibi doloris amaritudinem, et acerbiter temperari. Aiebat ergo sæpe: « Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia! O bone Jesu, adjuva me! Amplius lava me, amplius, amplius lava me Jesu! » Et sæpe cum dolore crecebat illi sensus pulcherrimæ, ac non nisi a Deo dari solite voluptatis. Dicebat de suo corpore, jam inde a quadraginta annis incommodum animæ suæ lectum obvenisse, in quo nunquam mollior quiesisset. Gratias pro doloribus continuas, tenerimas, effusissimas, tanquam pro paterni amoris benignissimis argumentis et beneficiis, quibus vere nec accipiendis dignus, nec pro acceptis gratus esse posse, agebat. Hinc illa illi e corde nata, et ore hilari dulciter pronuntiata e Psalmis: « Benedic, anima mea, Dominum, et omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedictus Deus meus: qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Dicenti, quid si Deus illum ad hoc collicæ, herniæ, impetiginis, stomachi, calculi dolores, atque tristes cruciatus ad mille

annos lecto damnaret? respondit: Agerem gratias, et pro patientia postularem. Res hæc finem caperet. Quam lætus nunlius damnatis foret, si post centum annorum millia liberarentur, dixit, et suavissime lacrymatus est. Neque unquam se vel vitam petere, vel dolores reusare velle, adjecit. Lætam patientiam esse unicum, quod suis, quod cœlitum, quod amicorum precibus a Deo unice flagitaret. Perpetuæ illi ex ore hæc voces: « Jesu! Jesu me dulcissime! Sancta Maria, ora pro me! » Sanctissimo Angelorum epulo quotidie reciebat, et illius desiderio diem desiderabat oriri citius, aiebatque: « Mi Jesu, quando venies me? letum quando facies? » Demum dum requiescere putaretur, requievit in pace. *NADASI, Præt. cog., c. x.*

P. Franciscus Costerus (qui dicebat se nolle morosum senem mori) anno 1619, ætatis 88, moriens, inter ultima Sacramenta dicebat: O quanta consolatio! Libenter moreretur roganti respondit illud S. Ambrosii: « Ita vixi, ut me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo. » Psalmum *Qui habitat*, cum mediate audiret, singulorum versuum sensum in divina beneficentia aiebat se cum bono Deo expertum. Tandem ubi lectum illud: « Ostendam illi salutarem meum, » adjecit, hoc adhuc superesse, hoc se sperare. Hoc a Domino expectare illum debere, aiebat quispiam: et ille hilari fiducia: « Nihil, inquit, dubito nihil dubito; » Et: « quantum erit gaudium cum Domino esse? » quæ illi suprema fuere, mox animam expiravit. *Ism., c. xxv.*

De P. Edmundi Augerii morte, Nicolina Orsolina magnæ pietatis ac patientiæ femina suo Confessario P. Bernardo Solabello, et hic P. Ludovico Richeomo Assistenti sic indicavit: Imminente illius mortis hora videbar nihil illum audire de rebus altissimis, ac mysteriis divinis alterius vitæ disserentem. Hora circiter noctis altera duos Angelos animadverti hinc inde Patris lectum circumstantes, explicare mappam candoris eximii, dum tertius vestem pulcherrimam, ac splendidam tenebat eo fere modo, quasi ad induendum Patrem illius et vita exitum expectaret. Paulo post magnam Beatorum multitudinem aspexi cubiculum pulchro ordine, et admirabili pompa ingredientium. Circa septimam noctis horam tota illa sanctorum divina cohors moveri cœpit, et

incedere via lata, spatiosa, divite, et a terris ad cœlum usque pertingente. Quod cum mihi stuporem attulisset, interrogavi nescio quem mihi tum ignotum de tam magnifico, festoque apparatu, et quid tam lætæ ac solemnissimæ pompæ scena significaret. Tum ille: Statim intelliges, inquit; et protinus P. Edmundum vidi pleno majestatis gradu, et specie hominem superante venientem veste duplici magnifice coopertum, quarum interior altera nitem æquabat candore, altera superior omnium colorum pellucida varietate fulgurabat. Tumque cogitata subiti, candore puritate illius, cæteris coloribus ardentem charitatem in Deum et proximum representanti. Præcedebant ordine pereleganti, diversæ puerorum turmæ Patris laudes suavissime canentium: et sæpius in eum oculos, hortantium more, reflectendo ad maturandum festinantumque invitabant. Præterea in cœlo sese meis obtutibus obtulit mensa exquisitissimi operis, et pretii, in qua expectabatur ab omnibus Societatis Jesu Patribus, qui tum æterna beatitudine fruebantur. Accidit postea, ut huic revelationi non omnino fides adhibens, quoties, pro ejus anima preces fundere vellem, et Psalmum in Ecclesia recitari solitum pro defunctis pronuntiare, cum ad versum: « Requiem æternam dona eis Domine, » ventum erat, nunquam, etiam adhibito conatu, illum pronuntiare possem: sed illius loco in animum linguamque, recurreret: « Gloria Patri et Filio, etc. » *Ism., n. 17.*

P. Martinus Stredonius Brunæ Præpositi Provincialis munere, et vita defunctus est. Unum mensem ad obeunda S. Patris nostri exercitia petebat, pro preparatione ad mortem. Alterum præparationis adjumentum illi fuere preces, lectio, colloquia de gloria cœlesti. Singulis noctibus per quinque ultimos vitæ suæ annos e lecto sese ad B. Virginis imaginem conferebat. Ibi per B. Virginem pro felici morte supplex abjectus in genu se in eo statu collocabat, juxta S. P. Ignatii consilium, in quo ii esse solent, qui ultimo vitam inter mortemque singultu migrantem jam animam trahunt, et jacent ad fores æternitatis infinite: « Rex meus, aiebat, et Deus meus! dona mihi vitam meam, pro qua oro, et beatam ex hac vita migrationem, pro qua obsecro. » Quatuordecim sui morbi diebus offerebat quidquid sibi non sapere advertebat, ad dandum

Deo gustum, quod aiunt, seu ad delectandum Deum; peccata, morbum, ut peccati stipendium mortem ipsam sacrificabat Deo ad exhibendam plenam divinæ illius justitiæ satisfactionem. Pro doloribus gratus, ac lætus gratias agebat. Altero morbi die, sancto migrantium viatico munitus, nullam postea diem sine illo epulo duxit. Sacro Missæ officio etiam quotidie audito, vel totum officium, vel aliquam ejus partem religiosissime recitabat. Meditationes, Litanias cœlitum omnium, æque ac sanus fecerat, habuit quotidianas. Pro spirituali lectione quotidie sibi legi voluit aliquid de Imitatione Christi, et e piis Hagiophilæ affectibus, quos ille tenere ruminabat. Omnium se precibus enixe voluit commendari; id quod etiam per pulpita factum a Concionatoribus. Ad Christi crucifixi effigiem consuetis S. Bernardi rhythmis ad singula Christi membra pronuntiandis proluxa exundantis animi suavitate horam pulcherrimam pretiose impendit. Jaculatoriæ admirabiles. Humi in lectulo stratus, in horas prope singulas agebat gratias, conceptis ad interpretes cordis sensus verbis pro beneficio nobilis creationis, pretiosæ redemptionis, et sanctæ vocationis. Orabat centies, per amarissimas morientis dulcissimi Jesu amaritudines, ut illæ amaritudines mortis suæ omnia amarissima dulcorarent. Maximæ misericordiarum Matri, et per hanc misericordiarum æternæ Patri, suum hinc exitum commendabat. Invitabat ad agonem suum felices Angelos, et Ignatium Parentem optimum, ac primos illos decem Societatis nascentes primores, ut agoni suo auxiliatores adessent. Gratiam in hac vita, gratiam consummatam flagitabat, et in æternitate visionem Dei Beatam. Extremam Unionem sæpius petiit; atque ubi demum impetravit, fessa jam et fracta voce: « Deo gratias » pro Matre Ecclesia et Societate egit, utpote qui ab illa vasis misericordiæ Sacramentalis fuisse munitus, ab hac sinu amantissimo semper et ubique portatus. Dictavit Socio schedam verbis valde prægnantibus, sensu magno, ex qua se mortuo, venia pro erratis palam in triclinio peteretur. Vigesimo quarto Augusti vespri ubi se jam mortis frigore occupari advertit, cereum accensum accepit, animæ commendationi recitatae pie respondit; preces a domesticis pro se in templo et sacello fieri postulavit, idque ardentem, et amanter ma-

xime tunc fieri petiit, cum jam ultimum singultientem visuri essent. Id quod cumulate præstitum. Ultimis quinque vitæ suæ horis in singultiente illo mortis vicinæ silentio, signa, de quibus ante, quid indicatura essent, convenerat, edebat; quibus absolutioem, indulgentias, piæ aspirationes legi petebat, et impetrabat, ita ut ante providerat. Incipiente vicesimo sexto die Augusti, post mediam noctem inter ultimos mortis anhelitus facie desiderio anhelante, erexit caput, manuum alteram cereum, altera coronam B. V. tenens, et utramque decussatam demisit in pectus, obversus cruci, quasi illi obviaret cum Andrea: et ivit obvius bono Jesu in amplexus æternos. Ibm., c. xxxii, n. 4.

M. Franciscus Cajetanus advertens sibi agonem ultimum imminere, convertit omnes cogitationes ad Deum, frequentando actus contritionis, fidei, spei, et charitatis. Testis est valetudinarii administer, a se, dum feria quarta excubaret præ foribus cubiculi, in quo æger decumbat, sub horam sextam auditum fuisse suave quoddam colloquium, quod integris etiamnum sensibus habuit cum sacratissima Virgine, dicens: « Ad quid venisti Dei Mater? fac obscuro, ut animam reddam tuo Filio. » Dum ipsum post dimidiam deinde horam admisit valetudinarius, porrecturus illi modicum carnis in liquorem decoctæ, quævissetque ex eo, quale nam fuisset colloquium, quod audiverat, respondit: Cum vigilarem, fallendi temporis gratia, alloquebar iconem Deiparæ, dissimulato his ambiguis verbis favore Virginis, quam affectu singulari collebat post Filium. Feria quinta mane gratias acturus Christo Domino pro Institutione Augustissimi Sacramenti, demum se eo refici petiit, quia arbitratur se non posse aliter respondere tantæ charitati, quam si eodemmet Domino animam suam cibaret. Præquam autem illum susceperet, rogavit obnixè valetudinarius, ne illi indicaret suum colloquium præterlapsæ noctis cum Beatissima Dei parente. Diem illum impendit contemplandis vulneribus Christi, cupiens mori et sepeliri in ejus pectore, indeque resurgere ad vitam immortalem, canens cum sancto Jobo: « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. » Nocte obscuro ipsam infirmarius per quasdam rimas spectabat, non minori contentione, quam pietate, multis agentem cum Christo

crucifixo, genua flectebat in lecto, licet esset debillimus, et quasi moribundus, alique sumpta crucifixi Christi effigie in manus petebat ab illo celerem vitæ finem in hæc verba: « Tolle me jam Domine ex hac vita mortali, et deduc me, pro tua clementia, eo ubi te fruar, tuaque sancta Matre. » Dum autem pectus vellet una manu pulsare, altera stringens crucifixum, destituebatur viribus ad eam sustinendam, ac attollendam. Feria sexta sciens ipsum medicus lætari, quod in propinquo esset hora suæ mortis, illi dixit: Eia, mi Pater hac nocte liberaberis a corporis doloribus. Franciscus novam præstulit lætitiæ, actisque ipsi magnis gratis pro felici hoc nuntio, promisit se pro illo oraturum, si Deo propitio potiretur cœlesti requie. Sub exitum diei, majori gestiebat gaudio, sentiens non longe extremam horam abesse, et rejecta cura corporis, securus de divina protectione, conversus ad valetudinarium, cujus dolebat vices ob toleratos sui causa labores: « Abi, inquit, cubitum, jam sum sanctis Sacramentis armatus, et omni metu liber. » Respondit Frater: « Vis me fallere, et me absente decedere. » — « Quid refert? respondit Franciscus, optinabitur mihi Deus, qui animam meam commendavi. » Adsumt mihi Regina cœlorum cum Angelis, et sanctis meis tutelaribus. Verum animadvertens Frater illum sensim appropinquare celo, accivit Patrem Ministrum cum alio Sacerdote, ut ipsum adjuvarent precibus Ecclesiæ, quas, ne ei essent molesti, legebant submissa voce. At Franciscus illas petiit legi voce clariore, eo quod vellet capere solatium ex ruminacione mysteriorum, et affectum contentorum in Ecclesiæ verbis: mansitque semper firmis sensibus, jam auscultans, jam alloquens Christum Crucifixum, et B. Matrem. Dicente postea Patre Litanias, voluit, ut subsisteret, ad invocationem S. Francisci, non solum quod illius gereret nomen, sed quod fuerit amantissimus Christi Crucifixi, deditque nonnihil temporis referendis ipsi gratis pro beneficiis ab eo acceptis, et exorando ejus presidio, in hac extrema necessitate. Convertit se deinde ad S. Patrem Ignatium, cui gratias egit, quod vixerit in ipsius Societate, et in ea moriatur: petiit quoque veniam ob non servatas regulas ab ipso scriptas, tot inter fusas ad Deum preces, et lacrymas. « Obliviscere, aiebat, mi Pater, errorum

meorum, et recordare me tum esse filium, nunc tua mihi tutela est opus, intercede pro me, ut ad videndum tecum meum Jesum pertingam. » Meminit præterea nostri S. Patris Xaverii, cujus ut meritis, Dei frueretur conspectu, ardentem precabatur. Demum complexus manibus crucifixum, amanter Christum in effigie, pariterque intemeratam Virginem compellans, et magno affectu invocans, animam Conditori suo reddidit anno Christi 1601, 20. Aprilis, sub exitum sacratioris feriæ sextæ, et initium Sabbati sancti. Vita, c. xxii.

Joannes Berchmannus Scolasticus Societatis dicenti valetudinario, videri sibi, e refore, si mane sacra Eucharistia refeceret; an Eucharistiam ex infimo sumendam suaderet, interrogavit Joannes: et illo affirmante, cum se tenuem de vita producenda spem superesse videre diceret, Joannes experto cordis gaudio, explicatissima tenerimæque hilaritatis ex infimo se superfundentis ubertate, valetudinarii mortem nuntiantis collo se exultabundus circumdedit, et arcessimo suavissimoque amplexu, quanta poterat, lætitiæ dulcioris significatione testatus est, quam charum, quam expectatum, quam plenum delicatum nuntium accepisset. Quæ sancta et simplex, ac sincera Joannis exultatio, et gestus præter solitum tener, valetudinario altis et uberis lacrymas excivit, adeo ut singultientem, et superfluis lacrymis repente impeditam vocem, in verba formare non posset. Quem suaviter solatus Joannes: Eia, hilariter ait, frater mi; præparemus nos: hoc enim nuntio nihil mihi melius, lætius nihil potuit accidere. Tum prehensio manu avida crucifixo, dicebat: « Domine mi! Tu scis, quod tu sis mihi, quidquid possedi, quidquid possideo in hac vita. Quare, Domine mi Jesu, ne me deseras. » Et plura dixit, quibus cor Jesu tenerum pulcherrime læcescebat, et sum in erumpentes ignes prope ultimos explicabat. Adfuit postea cum viatico Rector, et recentiores Collegiales, ac alii comites Sacramenti. Joannes vero sublatum in genua, inter brachia Sociorum, ubi confessionis formula pronuntiata est, stante jam, etiam viaticum porrecto Patre, latine ex improvviso: « Protestor, inquit, hunc esse verum Filium Dei Patris omnipotentis, et Beatissimæ semper Virginis. Protestor, me velle vivere et mori verum filium sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Rectorum III.

curatore, qui illum exploraverat, dicente: Jam imus, et fini propinquiores simus; crucifixum poposet, illicque Rosarium (quo nocturni monili instar torquatus jacere consueverat, cum somnum caperet) circumdedit: tum Regularum librum petiit, et crucifixo, rosarioque adjunxit. Atque hoc veluti fasciculo pretioso instructus, nobile illud acroama dixit: « Hæc tria mihi charissima: cum his libenter moriar. » Dixit osculatus est, et pectori, veluti thesaurum imposuit, ut ibi thesaurus esset, ubi erat cor mortem expectans. His pietatis meditationis, et suspiriis ad quartam usque noctis intentus, cum quiescere velle videretur, et se ad partem alteram convertere, repente se in lectuli medium convertit; et sublatis in cœlum oculis cepit turbato vultu, et labiis tremantibus clamare ac dicere latine: « Hoc non faciam, ut ego offendam te, Domine? Maria, ego nunquam offendam filium tuum. Absit a me hoc, non faciam. Malo milies mori, decies milies, centies, milies, milies, milies, » idque repetitis vicibus ingeminabat: « Milies, milies, milies, milies, » Accurrere Patres, et Joannem brachia perturbate hinc atque inde iactantem repetere: cum ille, quasi finita jam pugna: « Abi, inquit, Satana, non timeo te, » Projecti nostri circa lectum in genua, et in preces effusi, Inustrali aqua illum lectum, circa omnia, et cubiculum aspersere. Joannes vero crucifixum cum Rosario et Regularum libello, ac lipsanthea manu tenens, aiebat: « Hæc sunt arma mea. » Et singula singillatim contemplatus laudavit singula. Mox rosario in collum reposito, in Regularum libello, ubi formulam votorum simplicium reperit, grandi sensu. « Omnipotens, inquit, sempiternus Deus, ego Joannes Berchmannus, etc. » Et reliquam formulam, veluti ultimo Sacramento se Deo in holocaustum devovens (illis tantum verbis prætermisissis, « ut vitam in ea perpetuo degam, » cum jam se in meta vite videret) ita legit tolam, prout bis quotannis coram augustissimo Sacramento illa in spiritus et votorum renovatione repeti solet. A renovatis ultimis votis, Patrum nonnemo, quasi cantantem instar Litanias dixit; cui Joannes, vocem etiam in cantum flectens respondit. Et crucifixum in omnes partes versans, prout in missionibus per plateas urbis facere consueverat, ubi demum dici aiebat: « Agnus Dei! Parce ei Domine, etc. » Subsistit tantisper

curatore, qui illum exploraverat, dicente: Jam imus, et fini propinquiores simus; crucifixum poposet, illicque Rosarium (quo nocturni monili instar torquatus jacere consueverat, cum somnum caperet) circumdedit: tum Regularum librum petiit, et crucifixo, rosarioque adjunxit. Atque hoc veluti fasciculo pretioso instructus, nobile illud acroama dixit: « Hæc tria mihi charissima: cum his libenter moriar. » Dixit osculatus est, et pectori, veluti thesaurum imposuit, ut ibi thesaurus esset, ubi erat cor mortem expectans. His pietatis meditationis, et suspiriis ad quartam usque noctis intentus, cum quiescere velle videretur, et se ad partem alteram convertere, repente se in lectuli medium convertit; et sublatis in cœlum oculis cepit turbato vultu, et labiis tremantibus clamare ac dicere latine: « Hoc non faciam, ut ego offendam te, Domine? Maria, ego nunquam offendam filium tuum. Absit a me hoc, non faciam. Malo milies mori, decies milies, centies, milies, milies, milies, » idque repetitis vicibus ingeminabat: « Milies, milies, milies, milies, » Accurrere Patres, et Joannem brachia perturbate hinc atque inde iactantem repetere: cum ille, quasi finita jam pugna: « Abi, inquit, Satana, non timeo te, » Projecti nostri circa lectum in genua, et in preces effusi, Inustrali aqua illum lectum, circa omnia, et cubiculum aspersere. Joannes vero crucifixum cum Rosario et Regularum libello, ac lipsanthea manu tenens, aiebat: « Hæc sunt arma mea. » Et singula singillatim contemplatus laudavit singula. Mox rosario in collum reposito, in Regularum libello, ubi formulam votorum simplicium reperit, grandi sensu. « Omnipotens, inquit, sempiternus Deus, ego Joannes Berchmannus, etc. » Et reliquam formulam, veluti ultimo Sacramento se Deo in holocaustum devovens (illis tantum verbis prætermisissis, « ut vitam in ea perpetuo degam, » cum jam se in meta vite videret) ita legit tolam, prout bis quotannis coram augustissimo Sacramento illa in spiritus et votorum renovatione repeti solet. A renovatis ultimis votis, Patrum nonnemo, quasi cantantem instar Litanias dixit; cui Joannes, vocem etiam in cantum flectens respondit. Et crucifixum in omnes partes versans, prout in missionibus per plateas urbis facere consueverat, ubi demum dici aiebat: « Agnus Dei! Parce ei Domine, etc. » Subsistit tantisper

jussit, oculis in crucifixum suavissima intima demissionis significatione conversis, magno et incitato sensu facile trices repetivit: « Parce Domine, Parce Domine! » Vocatus cum aliis ad Joannem Rector voluit, ut repeteret actus contritionis, fidei, spei et charitatis. Aiebat ergo Joannes: « Doleo, Domine! Spero, Domine! Amo, Domine! Paratum cor meum: Deus! Paratum cor meum. » Inter hos actus affixis crucifixo oculis. « Jesus Maria, » Verba ultima dixit: et ad utrumque abiit ferie sextæ hora duodecima et dimidia ab hesterno solis occasu, ætatis supra annum 22, mense quinto: et impressam animi quasi imaginem, etiam in amabili quadam cadaveris venustate reliquit.

P. Claudius Aquaviva de morte admonitus, non timeo, inquit, mortem; bonum Dominum habemus. *Viz.*, n. v.

Anima Hosii, dum S. P. Ignatius in missa confessionem dixit, visa est inter cœlites præcipue radiare; simili modo etiam animam Joannis Codurii coruscantem in cœlum evolare vidit. *Hist. sec.*, l. II, n. 30 et l. III, n. 20.

Joannes Baptista Martinus Panormi rogatus a Sacerdote in extremo morbo, num B. Virginem agnosceret? sepæ, respondit, se mihi spectandam præbuit; dein illis verbis: Maria Mater gratiæ, etc., prolatis sanctissime expiravit. *Ann. Sic.* 1598.

P. Joannes Ponces Ducis ad Aris filius, Rector Novitianus Villaregiensis, cum in ultimo morbo phrenesim timeret, rogavit Deum, ne permitteret, ut quoad viveret, cognitione Dei privaretur. Rogavit, et impetravit, tam exigua enim phrenesis fuit, ut rationem non minueret. Prædixit obitus diem et post mortem adhuc singularem in facie suavitatem retinuit. Ultima ejus verba erant: elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Ann. Tol.* 1606.

P. Joannes Gerardinus in agone dixit: Non timeo mori, habens a Christo syngropham ad cœlum duplicem ejus sigillo munitam. Intelligebat per hoc sigillum verba illa. Amen, amen dico vobis: per syngropham autem verba illa: Qui reliquerit, etc. Dein ad B. Virginem conversus. O Maria, inquebat, tribularer certe nimium, si nescirem tuum Patrocinium. Quæso pia Mater, elemens Patrona dulcis virgo, in hora mortis tuo dulci præsidio fulciar, tu quasi tereben-

lynthus extende ramos, et me lassum refice. Denique animam propriam sic alloquebatur: O anima mea, jam hic male tractaris; male pelleris, jam non mosceris, en domicilium tuum jam quassatur, bases mutant, fundamenta diruntur, parietes finduntur, et per rimas et fissuras jam spiculis dolorum infirmitas te pellit; quid igitur moraris? exi oculus, exi leta instar columbe e cavea misse, reditura cum virenti ramo olivæ. *Ann. Lith.*, 1606.

MORS DESIDERATA. — P. Andreas Frusius cum graviter ægrotans, sub sacro verba illa audivisset, omne debitum dimisi tibi: tantum desiderium ob factam quasi de æterna vita promissionem concepit, ut sequenti mox die sanctissime fuerit mortuus. *Hist. Soc.*, l. XVI, n. 61.

Hieronymus Gualdio tantam sensit dulcedinem mentis, cum ad mortem ægrotare se vidit, quantam vix unquam tota vita sentiebat. Idem incredibiliter recreabatur, cum videbat lineæ suo cruro infecta, quod diceret, ea esse mortis vexilla. *Anno Rom.* 1594.

Joannes Rodericus Grammaticæ Magister interrogatus a Rectore, an nihil conscientiam torqueret? respondit, hoc unum se timere, ne forte vita prorogaretur. *Hist. Soc.* p. II, l. I.

Vincentius de Rocha Scholasticus, eum, qui mortem illi annuntiavit, amplexus est, proque tam optato nuntio cilicium et pulviri extractum, quod nunquam alias a se dimiserat donavit. *An. Lusit.* 1610.

Panormi cum medicus Mattheo Gerardo mortem annuntiaret, præ læthia is exclamavit: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

P. Franciscus Suarez in agone plenus gaudio cœlesti, non putabam, inquietabam, tam suave esse, et tam dulce mori. *Vic t. de Ang. præfata.*

P. Henricus de Habspruck in ultimo morbo rogatus, non in Societate mori jucundum esset? respondit: superat hoc omne cogitationem. Beneficium est beneficiorum. Nemo credit, nemo credit. *Ann. Bel. Duac.* 1611.

Novitius annorum octodecim extremum innectus ad fratres, quos Angelos rebatur, conversus, non possum, inquit, vobis explicare, quam solida voluptas, quam secunda et tranquilla quies, quam profusum atque ad sensum pertingens gaudium sit animo co-

gitare, se mori in Societate, qua una cogitatione dolores omnes et mortem suavem duceret.

P. Ludovicus Poncius Ducis Archiobrigensis filius, cum illi mors denuntiata esset, nuntii manum arcessissime complectens præ gaudio osculatus est. Inde tantis suavitatibus perfundi cœpit, tum ex celestium gaudiorum desiderio, tum quod inter nostros moreretur, ut timendum sibi disceret, ne laborem in vita pro Deo assumptum, Deus jam totum in hac vita compensasse videatur. *Ann. Boc. 1611.*

MORS REPENTINA. — Montellæ Antonius de Valentia Coadjutor septuagenario major, cum præsentem medico pleuriticū alicujus Fratris sanguinem emissum videret, una cum aliis sanus totus, ita depravati sanguinis aspectu territus fuit, ut ter Jesu nomen ingeminans mortuus considerit, sicque compos sit factis petitionis, quia petit a Deo, ut liceret sibi sine molestia domesticorum decedere.

P. Ludovicus Gagliardus Provincialis olim et Rector, cum Successoris sui sermoni cum socio interesset, finita concione, sine sensu et motu repertus et mortuus. *Anno 1604, fol. 822.*

Quidam, cum sciret, plerosque cognatorum suorum subitanea morte mortuos fuisse, dissidens sibi, quotidie confessus est, eumque aliquando in recreatione manum pro stropholio in sacrum immitteret, mortuus concidit. *Ex relat. priv.*

P. Juvenalis Boterus noctu sanus cubitum iens mane mortuus repertus est, tam compositus, ac si dormiret. *Hist. Soc., p. II, l. III, n. 162.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Aristoteles moriens dixisse fertur: Dubius vixi, anxius morior: nescio quo vado, Ens Entium miserere mei. *FAB., conc. II, in Do. 1 Ad.*

Seneca de seipso dixit: non me vixisse penitet, ut non frustra me natum existimem et ex vita sic discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam domo; commemorandi enim natura diversorium nobis non habitandi dedit. *SEN., l. de Senect.*

Socrates Critoni suadenti, ut si vitam ipse suam negligeret, saltem liberis parceret

et amicis ab ejus incolumitate pendentibus, respondit: Liberi, Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc discedens vobis similes aut meliores inveniam, ne vestra quidem consuetudine diu cariturus, quandoquidem vos brevi eodem estis migraturi. *ERASMUS, l. III, Apoph.*

Idem advertens amicos ipsum in carcerem sequentes lugere, dixit ad illos: Quid hoc est? nonne me jam, ex quo genitus sum, morti adjudicatum scitis? si bona mihi advenirent vitaque præriperetur, enim vero mihi benevolisque meis, lugendum foret; at malis impendentibus cum diem obeam, an non potius letari mecum, gratularique mihi convenit? *XENOP., in Apol.*

Idem Platoni quærenti, an liberem moretur) respondit: In juventute bene vivere, in senectute bene mori laboravi, atque ita interiore dolore seu cruciatu non afficior, nec mori recuso: nam vita honesta fuit: mortem cum hilaritate expecto.

Hadrianus Imperator in morte his verbis lusit:

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigidula, udula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Jos. LANG., in Pot. V. mort.

Thrassi, Causiani ac Getæ exequias cum hilaritate, natales cum fletu celebraverunt.

Ludovicus Cortusius Jureconsultus Patavinus lamentationes, et lacrymas in funere suo fieri testamento suo vetuit, sed politus Aulados, Citharædos, et omnis generis musicos numero quinquaginta, qui cum Clero candidati incederent, constitui voluit. Fretum autem a duodecim innuptis puellis prasina veste indutis et læta carmina canentibus portari. Pro comitatu vero omnes etiam Religiosos assumi precepit, exceptis iis, qui nigro habitu uterentur. *DREBEL., in Prod., c. 1, § 15.*

In libro de septem donis legitur, quod Saladinus magnus Princeps Saracenorum fecit sibi portari sudarium suum, dum videret se propinquum morti, et fecit illud clamando per præconem deportari per civitatem, tantum deportabit secum Princeps Magnus de omnibus rebus suis. *MANSI, disc. 5, n. 10.*

Mortuo Alexandro Magno, qui tam brevi tempore dominium orbis acquisivit, conveniunt Philosophi, et dixit unus: Iste, qui

terram heri totam concalcabat, hodie ab ea concalcatur. Heri dominabatur ei, et possidebat eam, nunc possidetur ab ea. Heri non sufficiebat ei totus mundus, nunc sufficienti ei quatuor ulnæ terræ. Heri premebat eam nunc premitur ab ea; dncebat heri exercitum super eam, hodie ab exercitu ducitur sub terra. *S. ANTON., p. IV, tit. 14, c. viii, § 5.*

Severus Imperator, qui suam sibi præparari fecerat mortualem urnam, intra quam cineres suos recludendos statuerat, frequenter eam attingens dicebat: Tu virum capies, quem totus mundus capere non potuit. *DIO. NIC., in Vita Severi.*

Antonius de quodam Sicilia Rege refert, quod, dum cuidam amico suo, qui ipsum felicissimum esse existimabat, suam vellet representare infelicitatem, eundem ad regiam mensam suam invitavit, superque caput ejus ense acutissimum ex tenuissimo filo pendente suspendiderit; qui exinde nimio metu percussus, vix bolum ex propositis sibi cibis deglutire potuit; cumque Rex id se admirari simulans, abstinentiæ suæ ab eo poposcisset causam, respondit, omnem cibi manducandi sibi evanuisse appetitum, utpote qui ob imminente sibi gladium et tenui filo pendulum quovis momento vicinam sibi mortem expectaret; cui Rex opportune respondit, dicens: Si tu unum gladium qui tamen erat affixus, licet tenuiter, ita tenuisti, ut putares te infelicem et miserum quæ felicitas potest esse mea, et quæ lælitia, qui tot pericula mortis habeo super me, veneni, gladiatorum, persecutorum, et hujusmodi.

S. Petrus Damianus quamdam Imperatorum Græcorum consuetudinem in hæc recenset verba: Apud græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, ut, cum Imperator quis in dignitate creatur, mox ut imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto sit obivus, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerat, in alia vero stupam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus moliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, et repente in ictu oculi flamma subito vorante consumitur, ut in altero debeat considerare, quod est, in altero valeat videre, quod habet; in cineribus siquidem se cine-

rem cognoscit, in stupæ igne colligat, in die iudicii quam subito mundus ardebit; quatenus, dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de imperiali culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat, et dum possessor atque possessio subjacere communi omnium casui non ambigitur, jam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa provecus est, non instetur. *S. PETR. DAM., l. I, ep. XVII.*

De Epaminonda Thebanorum Generali Duce refertur, quod cum in prælio lethalliter fauciatu fuisset, sequentia interrogavit. Primum an clypeus suus salvus esset: Deinde an fusi hostes penitus forent? quæ postquam ex animi sententia comperit, non finis, inquit, commilitiones, vitæ meæ, sed melius et altius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. *VAL. MAX., l. III, c. II.*

MEMORIA MORTIS. — De Peruvianis sequens traditur laudabilissimus usus: Itatini fera aliqui gens, et soli ac disciplinæ vitio ab humanitate abhorrent, hæc tamen partem sapientiæ, in qua impotentem glorianitur Philosophi, natura ducit sunt consecuti. Quæ die propagandæ soboli, regendæque familiæ in manus conveniunt, eadem sepulchralem vestem, et reliquum funeris apparatus, vel in mariti domum inferunt sponsæ, vel a sponso traditum accipiunt, in quo egregie memores esse videntur, ideo sufficiens generi se comparari, quod fluxam plus æquo mortalitatem inopinato occupat mors. *RHO., l. V, c. III, ex. 1.*

Regibus Æthiopum Abyssinorum hæc lex olim fuit, ut etiam nunc est, ut, cum regniæ opulentie ferula inferuntur, vas vitreum cinere plenum in mensa non desideretur; quasi vero ea cinerum presentia condiri possint dapes, aut convivæ admoneri, tantum cibi esse sumendum, quantum brevi morturis sit satis. *IBID., n. 2.*

In historiis Indiciæ regni Mogor talis scribitur vigere usus; cum dies nuptiarum instat, nupturi cometeria et sepulchra obeunt, ac tandem reserant, ut sic recordentur mortis, antequam aliis dent vitæ principium, ad conjugalem namque fovendam continentiam prorsquam ad copulam maritalem procedant, menti suæ cometeria et sepulchra imprimant. *MANSI, disc. IV, n. 8.*

Brachmani pariter, ut Card. Bellarminus scribit pro continentia tutanda sepulchras ante domus suas erigere, et conservare so-

lent apertas, ut hoc fruentes spectaculo majori cum honestate vitam traducant, profiteantes unanimiter, mortis memoriam efficacissimum contra carnalem concupiscentiam frænum esse. *BELLARM., conc. de Morte.*

Plato discipulis suis hanc legem dedit, ut iter ingressi numquam pedes operirent; quo ritu voluit extremam vitæ semper cogitandum, eo quod tanto quemque sapientiore fore crederet, quanto vivacius mortem consideraret. *S. HIER., in c. v Math.*

Ægyptii prudentiores semper solebant oblonga ossa mortuorum sive vera, sive ex ebore ficta secum portare, et ubi sibi occurrerant, eorum ostensione ad meditando obitum exhortari. *RADZIV., ep. 1, pag. 134.*

Imperatorem Orientis recens creatum nemo prius alloqui audebat, quam latomus diversi coloris marmora ei exhibuisset, quæscivissetque, ex quo genere sibi sua Majestas monumentum fieri vellet? *DREX., in podr., c. 1, § 26.*

Philippus Rex Macedonum negotium dedit puero, ut quotidie e lecto surgenti diceret: Rex, homo es, vive memor lethi. *ÆLIAN., l. III.*

Ptolomæus Rex Ægypti semper calvariam pone se, vel in mediis etiam epulis habuit, ne mortis ipsi excideret memoria. Quin et ministrum sibi identidem occidere voluit: Rex, inspicite, talis eris. *PLUT., in Conviv.*

Agathocles Siciliae Rex vasis figulinis æque ac aureis in mensam omnia inferri constituit, quo se ex figulo et limo natum, et Regem factum meminisset. *BESS., c. 1, de Mort.*

Romanis de hoste triumphantibus semper servus a tergo inclamare debebat: Hominem te mortalem memineris. *S. HIER. Epist.*

MORS INCERTA. — Tarquinius pisciculi spina: Fabius spina cum lacte hausta: Aristides mustellæ morsi obiit: Anacreontem et Sophoclem uvæ acinus: Luciani Marci Aurelli filiam punctiuncula acus subito extingit. *DREX., in Podr., c. 1, § 20.*

Manlius Torquatus, dum in cœna placentam appetit: Quintius Scapula, dum apud Aquilium Gallum cenat: Sanejus, cum ovum sorbet: Æmilius Lepidus, dum egrediens liminis cubiculi pedem allidit: C. Ansidius, dum pedem in Comitio offendit: Bebivus Pamphilus, dum a puero horas quaerit: Juventius Talva, dum sacrificat: Bebivus

Judex, dum vadimonium differri jubet, repente extincti sunt. *PLIN., l. VIII., c. vii et lxi.*

Philemon Comicus jam comœdiæ partem in scena representarat, sed quia pluvia interveniens abrupere tertium actum coegit ad spectatorum preces promisit, se illum postero die absoluturum. Cum autem tempore destinato omnes jam convenissent, Philemon frustra expectatus, in lectulo mortuus inventus est. *DREX., in Podr., c. 1, § 45.*

Messadavus jam senex, cum ab amico in crastinum invitaretur convivium: cur me in crastinum vocas, inquit, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies expectavi: quæ nobis nonnunquam insidiatur, donec nos incautos tandem etiam opprimat. *CUMBO BTURIC., ex. hist. Eccl.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut is, qui castrum vult expugnare, primo ruinam majoribus tormentis sternit, inde oppugnat, invadit, et occupat; sic ante mortem gravis infirmitas præmittitur, quia ita impugnat naturalem fortitudinem, ut nullam vel diurnam, vel nocturnam homini quietem permittat, sed ita concutiat singula membra, ut anima desperans de corporis castro amplius defendendo tandem fugiat, et in alterum mundum pergat. *LUD. GRA., in Duce pec., l. 1, p. 1.*

Sicut vas liquore plenum non extrema gutta cadens exhaurit, sed quiddam ante deceptum est; sic ultima vitæ hora non sola mortem facit, sed sola consummat. *SENEG., de Brev. vit., c. ix.*

Sicut is, qui eminus aliquid videt, confuse videt, nesciens, homone, an arbor sit; sic qui longam sibi vitam promittens, mortem quasi eminus et longe distantem respicit, eam, qualis sit, quam terribilis nempet acerba, non videt. *STAPL., th. II, in Dom. 23 post Pent.*

Sicut vasa fictilia æque sunt obnoxia periculo, sive sint nova, sive diuturna; sic homines aequaliter sunt mortales, et interitus periculo expositi, sive sint adolescentes, sive juvenes, sive viri, sive senes. *IDEM., th. II, in Dom. 23 post Pent.*

Sicut hydris juxta fontem contrita, aqua

non perit, sed in fontem suum revertitur, eamque rursus, qui voluerit ex fonte haurire potest; ita corpus, quod in elementa velut fontem suum resolvitur, iterum resuscitari potest, quandocumque Deo placuerit. *OLYMP., c. xii, in Ec.*

Sicut torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepat, currit, et currendo cursum finit; sic nascuntur homines, et moriuntur; et aliis morientibus, alii nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. *S. AUG., in Ps. cix.*

Sicut stellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamvis sint magnæ celeritatis et virtutis, tendunt tamen ad occasum, et ibi secundum diversos circulos tardius aut citius se a nostris aspectibus abscondunt; sic homines universi ab oriente, id est, nativitate in mundum veniunt, sed omnes iterum, ubi aliquamdiu fuerint, per mortem ad occidentem tendunt. *INOCTA, de Contempl. mors, § 1.*

Sicut aqua dilabens in terram ita absorbetur, ut amplius non appareat; ita homo in terram per mortem cadens ita absumitur, ut nulla ejus memoria exstet, sed sicut ex oculis, ita et ex animo evanescat. *IN., ix, 10.*

Sicut poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis auferit, senibus maturitas. *CIT. in Caton. maj.*

Sicut is, qui e carcere ad mortem ducitur, non minus angitur etsi longiore via quam alius ducatur; ita cum nos omnes ad mortem damnati simus, parum solamur, etiamsi tardius eo perveniamus. *DREX., in Podr., c. 1, § 99.*

Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic reverletur, et nil auferit secum de labore suo homo. *ECCL. v. 14.*

Sicut hyems hortos et vireta frondibus spoliat et foliis, nudamque humum reddit; ita mors importuna omne sacrum profanat; et quiddam in mundo admiratione dignum est, in momento dejecit, nudataque reddit regum sceptrâ, dum illos aequali falce, ac inopes ferit. *BEML., in festo S. Cath.*

Sicut in ludo Schaccorum omnia lusum hujus instrumenta suum in tabula locum obtinent, habet enim Regina locum suum, Rex alium, et alium pedester, et ita de singulis. Ludo vero terminato omnia simul in unam bursam mittuntur confusim, sine ullo ordine, adeo, ut nullius ibidem pro altero habeatur ratio. Ita quoque in hac præ-

senti vita contingit, in qua Deus ludit in orbe terrarum; unusquisque enim pro ratione dignitatis locum suum obtinet, Princeps videlicet hunc, subditus vero alium sibi proprium; at vero terminato hoc spatio, in quo iniecuque vivendum est, secundum divinæ providentiæ periodos, omnes in sepulchro, vel ut melius dicam, in momento mortis omnes ex æquo habentur, nec habetur major unius, quam alterius ratio. *MANSI, disc. xii, n. 7.*

Sicut si intrares domum, et scires quod aliquis in domo accederet, et occideret, procul dubio ad te omnes accedentes timeres, et suspectos haberes: sic tu intrans in mundum hunc, certus esse debes, quod aliqua hora te occidet, et nescis, quæ sit illa, et ita omnes suspectas debes habere. *BELLOV., Sp. mor., p. 1, l. II, dist. 4.*

Sicut aqua congelata propter fervorem solis liquefieri solet, et in terram et lutum dilabi; sic utique nostra fragilis et aquea conditio, quæ nihil aliud est, quam carnea quadam moles aliquantulum congelata, quando fervore mortis percussit et urgetur, necessario diffinit, et in terram decidit, et mutatur, ut dicere queat unusquisque: sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.

Sicut qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti, mœrentesque sunt, maxime tamen sub diem illum, quo sunt educendi, et ad ipsas judicis fores protrahendi, ac pro cancellis foris stantes judicis vocem intus audiunt, exanimantur metu, nihilque melius efficiuntur, quam mortui; sic anima maxime quidem in ipso peccati tempore cruciatur, et angitur, multo tamen magis cum hinc avulsa abduccenda est. *S. CHRYS., conc. 1, de Laz. to. L.*

Sicut ex captivis nonnulli longiori tempore vinculorum ærumnas sustinent, nonnulli citius e vinculis emittuntur; sic et animæ nostræ affectæ sunt, quorum alie multum satis temporis in hac vita permanent, alie vero citius ex hac vita migrant. *S. ERM., orat. de Morte.*

Sicut vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpat et festinat, tremat ac sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: Ita vir sanctus cum passioni propinquare se conspiciat, et naturæ suæ infirmitate contunditur, et spei suæ soliditate roboretur, et de vicina morte trepidat, et tamen

quod moriendo verius vivat, exultat, ad Regnum quippe non potest nisi interposita morte transire, et ideo confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit, et gaudens metuit, et metuens gaudet, quia scit, quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc, quod interjacet, cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certe autem de subsequente salute gaudemus. RABANUS, ap. Mansi, d. 33, n. 3.

UTILITAS. — Sicut, quod ex viperinis carinibus potentissima contra venenum conficiatur Theriacæ medicina ipsa nos docet experientia; ita quoque peccati venenum, nobis mortem inferens, sanatur, atque extinguitur, nec non mortiferi hujus serpentis morsus sopitur per feriam mortis meditationem. *IBID.*, d. 2, n. 2.

Sicut perdidit dum aucupum patitur insidias, teste Plinio, insulco resupina, gleba se terræ pedibus apprehensa operit; idem omnino anima Christiana, dum a dæmone in via voluptatum, aliarumque illecebrarum carnis, mundivæ tentatur, insidiasque patitur, præstare debet, se nimirum infra terram abscondendo, id est pulverem, ultimamque hujus corporis nostri et mortalitatis vite finem meditando. *PLIN.*, l. X, c. XXXIII.

Sicut aspis, ne incantetur, suas obturat aures, ubi S. Augustinus inquit: Recusans audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum potest evitans, non exit ad incantandum; ita et Christianus, dum a dæmonio ad voluptatum, deliciarumque carnalium et terrenarum, trahitur incantationes, aures ad terram applicet, id est, discursus audiat de morte, cinere, et terra; Pulvis est etc. *S. AUG.*, in *Ps.* LVII.

Sicut uno osse arido plurimos Philistinios occidit Sampson, ita per nostra quoque in tumultu resoluta ossa, modo illa, dum vivimus, meditamur, omnes spirituum malignorum atternum exercitus. *MANSI*, d. 3, n. 8.

Sicut leonis quamvis famelici constans est instinctus, ut non oppugnet eos, qui veluti mortui prostrati jacent in terra; unde Poeta cecinit: « Corpore magnanimo satis es prostrasse leoni; ita dæmon circa illos, qui se mortuos exhibent, omnem suum deponit vigorem. » *IBID.*

Sicut damnati ad mortem quantumvis late habeantur, priusquam ad furcam abstrahantur, nihilominus propter justitiæ et condemnationis suæ apprehensionem, nec minimum cum gustu deglutire possunt cibum; ito quoque qui mortem serio considerat, eamque vicinam (quemadmodum veraciter est) apprehendit, nullam in carnalibus deliciis satisfactionem habere potest, certus, hanc carnem suam verum pastum futurum esse, hæcque cum consideratione omnem carnalem fastidit voluptatem. Non est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum. *IBID.*, d. 4, n. 7.

Sicut pavo, etsi visis pennis suis pulchritudinem extendit, et hinc inde se gyrat, de eadem pulchritudine superbiens, tamen ad pedes turpes aspiciens, eas continuo deponit, quasi se humilians; sic homo attendens, ad finem vitæ, humiliabitur. *S. ANT.*, p. IV, tit. XIV, c. 8, § 7.

Sicut ad abstergendas linteorum, vel cujuslibet alterius materie immunde sordes, lixivium adhiberi solet, quod ex aqua et cineribus auxilio ignis componitur: eodem modo quisquis cor et animam suam a contractis culparum maculis purificare, eamque in conspectu Dei immaculatam reddere desiderat, memoriam mortis aquam veram compunctionis, divinique amoris ignem adhibere debet. *MANSI*, d. VII, n. 1.

Sicut effodientes thesaurum multum laborant, ut inveniatur ipsum, quem summe desiderant, et quia antiqui in sepulchris suis faciebant thesauros abscondere, ideo tales effodientes, cum inveniunt sepulchrum, gaudent, nihil curantes de labore, sperantes quam citius ad thesaurum, quem optabant pervenire viso sepulchro. Sic desiderantes thesaurum supernæ vitæ, cum considerant, quod per mortem cito ipsum consequantur, fortiores redeunt ad labores, intelligentes illud Apostoli: « Non sunt dignæ passionibus hujus temporis, etc. »

Sicut quando in lecto concutiuntur, tunc duntur, moventur plumæ, quæ in lecto sunt, susque deque motæ molliores, et delicatiores evadunt, præbentque somnum suaviorem, quia corpus mollius, et delicatius in eo conquiescit; idem quoque animabus electis in infirmitatibus mortalibus contingit, per has namque mors illis præparatur, quæ est lectus quidam floridus et plumens, ut in eo suaviter conquiescant, juxta illud ejusdem Psalmistæ oraculum: « Exultabunt Sancti

in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. »

Sicut statua, quæ in fornace confringitur, haud deletur, sed renovatur; sic cum corpus nostrum moritur, non perit, sed instauratur. Cum igitur verideri carnem nostram, tamquam in fornace liquescentem, ne committe, ut in hujus rei inspectione conquiescas, sed tantisper expecta, dum ea rursus conflata fuerit. *S. CHRYS.*, t. V, s. XXXIX.

Sicut infans in utero matris constitutus, quamdiu imperfectus est, inde egredi non curat; mox vero ut ad perfectionem pervenit, ibidem amplius subsistere nequit, quin potius vim adhibet, ut egrediarum, utpote locum desiderans capaciorem, copiosorem cibum, aerem haurire liberiorem, clarioremque inæm; ita quoque qui amore Dei ardent, et in ordine ad vitam futuram opera bona sibi accumulaverunt, hic in terris ingenti cum impatientia vivunt, dicentes cum Psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! vel eum Apostolo: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *MANSI*, c. XXXV, n. 9.

Sicut matres volentes ablactare infantes, aliquid absinthii aut aloes mammillis appointunt; sic Deus a voluptatibus mundi abstrahere nos desiderans, amarum morti memoriam proponit. *BERL.*, t. III, in *fest. S. Jo. Ev.*

Sicut navarchus, ut navim bene dirigat, in puppi ad clavum sedet; ita ut homo seipsum bene dirigat, non tam ortus sui vitæque initium et progressum, quam finem et exitum considerare debet. *BESS.*, con. 1, de *Morte*, p. 3.

Sicut corvus numquam redit ad nidum, si cineres aut contriti pulveres in eo conspexerit; sic neque dæmones ad animam redeunt, si cinere, id est, mortis memoria conspersam advertant.

Sicut hirundines, si corpori pertinacius adhærescant, cinere superjecto decidunt; ita, ut homines a voluptatum et divitiarum concupiscentia abstrahantur, non aliud æque efficax remedium est, quam mortis memoria. *BESS.*, l. VI, p. 5.

Sicut illi, qui migrare cupiunt, omnia, quæ minus transferre possunt, in pecuniam redigunt; ita, qui mortis iter sibi propinquum credunt, omne studium in bonis operibus coacervandis impendant. *IBID.*, p. 4.

Sicut nemo prudens inter Oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatatur: nemo inter

medios armatos hostes internis hilarescit; ita, quin in perpetuo mortis metu versatur, numquam audebit ea perpetrare, quæ æternum infelicem afferunt mortem. *DREX.*, in *Prod.*, c. 1, § 3.

Sicut apes, cum vehementes inter se tumultuantur, jactu pulveris componuntur; sic homines turbulentis passionibus agitati mortis recordatione sedantur. *STAPL.*, t. II, in *Dom. post Pent.*

Sicut cinis ignem sibi superpositum conservat; ita mortis recordatio ignem divini amoris fovet, ac nutrit. *BERL.*, th. 3, in *festo S. Jo. Ev.*

NECESSITAS. — Sicut panis necessarius est homini præ cæteris alimentis; ita intenta meditatio mortis necessaria est homini præ aliis donis et exercitiis bonis. *JOS. CLIM.*

Sicut omnia flumina tendunt ad mare; ita omnes homines ad amarum mortem properant; mors enim est omnium poena, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum.

MORS LIBENTER ACCEPTANDA. — Sicut mutata pecunia æquo animo reddenda est; sic vitæ munus, quod a Deo accepimus, sine quaerimonia est restituendum.

Sicut nemo miratur, liquefactum esse, quod potuit liquifera, aut exustum esse, quod est exustibile; ita nec mirandum, aut ægre ferendum est mortuum esse, quod mortale est.

Sicut is, qui scit se in conductâ domo habitare, minus moleste fert, si exire jubeatur; ita qui intelligit domicilium corporis ad breve tempus sibi commodatum esse, non ægre id deseret, si Deus, qui illud concessit, jubeat. *LONGIUS*, *Pol.*

Sicut nemo est, qui non gaudeat, si longa maris pericula emensus, ad terram accortum, feliciter appellat; ita nec tristandum, si post superata vitæ hujus pericula per mortem in Patria appellamus. *IBID.*

Sicut felicius est, quem ventus acrior cito ad portum deportavit, quam is quem venti segnes, et longa tranquillitas lentissimo tædio delassavit; ita fortunatior est, quem festinata mors cito his malis eximit. *IBID.*

Sicut, qui debitum contraxit, de quo magnum censum solvere cogitur, gaudet, si solutione capitis liberare se a censu possit; ita cum propter debitum mortis plurimis incommodis, puta famis, sitis, morborum etc. obnoxii simus, lætari merito debemus, si